inuestigata ratione lateris ad Diametrum, atq; inde totius ambi tus Polygonici ad eandem, conficiat proximam quoq; rationem Peripheriæ Circuli ad eam ipsam Diametrum. Fundamentum autem iacit à Triangulo æquilatero, cuius tres anguli notissimi, utpote duarum, in singulos, tertiarum Recti. Ex quo ordinatim mensuram uenatur cuiusq; lateris: primùm quidem Hexagonici, tum Dodecagonici: inde duplicando, usq; ad Polygonū, nonagintasex laterum peruenit, ut propositū efficiat. Id autem cōpendiosè præstat ex dimidiato Triangulo æquilatero, quale mox exhibebimus D B C Triangulum: demonstratione, ut dixi, à Numeris ducta. Quæ quamuis constet multis partibus, nihilo tamen est difficilior. Qui enim earum unam norit, omnes nouerit. Verbi gratia, quum rectè perpenderis qua methodo eliciat proportionem Semidiametri B C, ad latus D C, facilè ex ipsius themate assequêris proportionem eiusdem B C ad E C: hinc ad F C, tum ad G C, ac demùm ad H C. Et quia D B duplū est ad D C (est enim D C dimidium lateris Trianguli æquilateri) facit Archimedes D B esse 306: D C uerò, eiusdem dimidium, nempe 153: eosq; numeros totius Demonstrationis ueluti duces constituit, ut ab ijs qui inde consurgent numeris, propositū colligat, in hunc modū:

DEMONSTRATIOnis prior pars.



Sit Circulus, cuius Centrū B, Diameter uerò A C: & sit linea contingens, C D. Fiat insuper angulus D B C, tertia pars recti: ut sit B C D dimidia pars Trianguli ęquilateri. Linea igitur D B ad D C, quum sit ipsius dupla, rationem habebit quā 306 ad 153. Ob id, B C ad C D maiorem habet rationē, quàm 265 ad 153. Etenim si à Quadrato D B (quod est æquale Quadratis ambarū B C & C D, per quadragesimam septimā Primi Elem.) nempe à 93636, abstuleris quadratum D C, nempe 23409: manent 70227: quorum radix est 265, superante Binario.

Iam